

APHORISMI BASILIANI SIVE CANONES Hermetici.

De Spiritu, Anima, & Corpore medio Majoris & Minoris Mundi.



HERMES τριπέγυλος ob triplicis regni Mineralis Vegetabilis, Animalis, imò ob triplicis in una creata essentia subsistentiæ indagationem, in qua vim omnem vegetabilis, animalis, & mineralis Naturæ exploravit, Pater Philosophorum dici meruit.

2. Vis vegetans in natura Mercurii volantis, instar nivæ candidi, concreti, non vulgaris inest; qui tam majoris, quam minoris mundi quidam Spiritus est, unde naturæ ipsius humanæ, secundum animam rationalem, pendet mobilitas, atque fluxibilitas.

3. Animans autem vis, tanquam Mundi glutinum, inter Spiritum atque corpus medium est, atque utriusque vinculum in Sulphure nimirum rubentis atque transparentis olei cuiusdam, veluti Sol in Majore Mundo, & cor Microcosmi.

4. Mineralitas denique tanquam corpus instar Salis obtinet, mirabilis virtutis & odoris, ubi sal à scoria terræ separatum fuerit, à Mercurio non nisi corporis crassitie, & consistentiæ ferè distans.

5. Hæ tres subsistentiæ in una creata essentia limbum minoris & majoris mundi constituunt, ex quo formatus est primus homo, cum fingeretur è pulvere terræ. Huc accedit anima rationalis Microcosmi immortalis à Deo immediatè inspirata horum trium & omnium functionum in homine motrix atque directrix causa, veluti Regina.

6. Cæterum ut è 4. elementis conglobato pulvere terræ vis corporum nostrorum atque vita integra est, si spiritus Mercurialis, tanquam humidum radicale, & anima sulphurea, tanquam calidum naturale, una cum salis consistentiæ à putredine conservantis, suaviter in unum conspirent: ita vice versa anima immortalis à corpore conglobati pulveris terræ separari necesse est, si vel in uno principiorum trium pluribusve defectus oboriatur: in toto quidem unde mors: in parte verò unde morbus: quod in septem Principalium membrorum anatomia præcipuè videre est.

7. Hæ